

Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.

Ego te per *Æsculapii* sacra; per *Socratis* Genium, atque per *Hippocratis* tui oracula omnia: per *Homunculum* Spagyricum, per *Ignivomorum* Chemistarum numina, *Vulcanum*, & *Plutum*; Inmo quod summum est, per arctissima necessitudinis nostræ vincula, & iurare obtestor & adiuro. Quid tu, ad hosce efficacissimos bombos, tanquam obturatis auribus taces?

THEOD. Siquidem iure quodam amicitia nostræ tantopere urges & instas, obsecundandum tibi censeo. Sed prius admirandum plane rerum naturalium tibi exhibebo spectaculum.

Pulveris huius Solaris, quem vides, uncia sunt binæ. Istius quantumlibet, in pyxidem aliquam ligneam (cuius pondus mihi sit ignotum) immitte, occlude, filo tenui arctissime colliga, demum etiam obsigna.

Palladius. Feci, ut iussisti; sed quidnam ista sibi volunt?

Theod. Nunc paullulum abs te in proximum conclave secedam: hinc rediens, vel te tacente, quantum pulveris istius Solaris pyxidi incluseris, occluseris, & oblinaveris, indicabo.

Palladius. Interim hic te præstolabor, Theodore.

Hui tam cito redis? iam si potes, verum mihi ediffere.

Theod. Pyxidem tuam vides etiamnum clausam, filum illæsum, sigillum integrum. Pulveris continet Solaris drachmas quinque, cum scrupulis ferme duobus.

Palladius. Recte divinasti. Ego vero te absque magicæ artis adminiculo, ista posse efficere, vix puto.

Theod. Tota erras via: Me nullo alio quam physico medio ac modo hæc expedite, sancte & religiose tibi confirmo.

Palladius. Fac igitur sciam hoc artificium: quid occultas? cur sic ludos facis? Cur ita oculis meis tenebras & offuscias offundis?

Theod. Absint ludi, & ludibria, absint offuscias: rem seriam, ac utilem tracto, & trado.

Sol tibi signa dabit: Solem quis dicere falsum

Audeat? ut Maronis utar versu.

Adhibe saltem huc aurem, Palladi.

Palladius. Quamobrem istuc?

Theod. Ego tibi hoc mysterium naturæ aureum, in aurem: Habesne?

Palladius. Habeo nebulas, habeo ventos, & fumos in
pariete